



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Quomodo dies festos impendere docere debeat Confessarius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

Quando autem aliquem nacti erunt, quem ad hoc præstandum esse videant inidoneum, conabuntur eum paulatim, ac veluti per gradus quosdam eò euehere. Primò hortabuntur, vt quando omnes debent percipere venerabile Sacramentum, etiam festis toto anno celebrioribus, præter ipsum diem solennem Paschæ, quo debent omnes communicare, scil. festo Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, Omnium Sanctorum, Natalis Domini, deinde etiam Dominica in capite Quadragesimæ, pro indulgentiis acquirendis, ac præparatione ad sanctum Quadragesimale ieiunium: paulò post superaddat aliquot dies: postea hortetur, vt singulis mensibus semel id præstet. Quod si fiat, facillè ad communionem oçtiduanam erit progredi.

*Quomodo dies festos impendere docere debeat
Confessarius.*

Speciali cura eos admonebit Confessarius, vt dies festos in honorem, seruitiumque Diuinum impendant, quod vt commodius fiat, auctor eis erit, vt alicui Societati sese associant, quæ ex instituto proprio dies festos in orationibus, pijsque operibus expendit: veluti est ea, quam *Scholam vitæ Christiana dicunt*. In vniuersum autem patres, matresve familias admoneat, vt familiam suam ad Dei honorem instituant, ac liberorum suorum curam eximiam habeant, qui interim dabunt operam, vt visitent scholas, vbi doctrina Christiana docetur, modo ducant vna secum eos festis diebus ad conciones, ad Vespertinas preces, ad prælectiones sacras, modo ad frequentem confessionem & communionem eos

accom-

accommodent. Si qui ex filijs vxorem duxerint, curabunt parentes, vt opera maritorum etiam illæ sacramenta frequentent: vel si vxores sint, cum maritis similiter agant: qua in re in memoriam eis reducant quod S. Paulus ait: I. Cor. 7. *Maritus bonus* (inquiens) *sapè vxorem Christo lucratur, & similiter virum.* Eis qui literas norint, suadebunt, vt libros aliquos pios & sanctè scriptos emant (si modò facultas suppetat) quos & ipsi legant, ac faciant legi à tota familia circa vesperam, præcipuè diebus festis: tales sunt, *Vitæ Sanctorum Patrum*, Gerson de imitatione Christi, *Opera F. Ludouici Granatensis Exercitia Vitæ Spiritualis; & Rosarium Gasparis Loartis, Practica Orationis Spiritualis P. Matthiæ Cappucini, Introductio ad vitam deuotam Francisc. de Sales, Androtij & P. Gaudier Soc. IESV, Thom. à Kempis, P. Arias & Iul. Fatius Soc. IESV, Lanspergij & Hie. em. Drexelij Soc. IESV opuscula, & alij similes.*

Diuites quomodo admonendi.

Sæpiùs diuitibus in mentem redigant, eos dispensatores esse diuitiarū quas possident, quibus ordinem ac statum suum sustentare & alere possint, verū id Christianè, modesteq; faciendum esse, vt non solum in vsu diuitiarum nō supra quam eorum vires ferunt, sed potius infra aliquid expendere cernantur, quod etiam Gentiles olim non solum verbis, sed etiam domesticis exemplis ostenderunt. Porro in eleemosynis liberaliter faciendis studeant excellere, ad hoc enim obligantur: ac ne fortè aberrant à modo conuenienti, hominū religiosè pieque sententium consilium in his sequantur.

Pe